



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij**

**Schrötel, Georg**

**Coloniæ Agrippinæ, 1633**

Mvlier Amicta Sole. a.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

## MVLIER AMICTA

SOLE. *a*

**B**eatissima Virgo Maria Soli comparatur, citra vllam iniuriam Solis Iustitiæ, qui dixit, *b Ego sum lux Mundi.*

Rupertus super illud Cant. 6. *Electa vt Sol, ita explicat: Non quidem natura tu idem es, quod ille Sol, sed nihilominus tanta es, vt te honoret ipse Sol, honore, quo decet filios honorare parentes suos. Certè in Sole hoc (Virgine inquam Maria) posuit tabernaculum suum. Clarius idem Rupertus ita de hac re differit ibidem. Sicut enim Luna lucet, & illuminat luce non sua, sed ex Sole accepta; sic tu O Beatissima, hoc ipsum, quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex gratia Diuina, O gratia plena. Quando autem de hoc Mundo assumpta, at que ad æthereum thalamum translata es, tunc & tu, & ex tunc Electa vt Sol: Electa inquam nobis; quia sicut*  
*ex*

*a Apo. 12. b Ioan. 8.*



ex te natum Dei filium, Solem verum, Solem  
 æternum adoramus, & colimus vt Deum ve-  
 rum; sic & te honoramus, atque veneramur,  
 vt veri Dei Genitricem, scientes quia totus  
 honor impensus Matri, sine dubio redundat in  
 gloriam filij. a Quàm familiaris, inquit,  
 Christo facta es, ô Domina quàm proxi-  
 ma, imò quàm intima fieri meruisti?  
 quantam inuenisti gratiam apud Deū?  
 vestis eū substantia carnis, & vestit ille te  
 gloria suę Maiestatis; vestis Solem nube,  
 & Sole ipsa vestiris.

Idem de Aquæductu: Tolle, inquit,  
 corpus solare, vbi dies? tolle Mariam, quid nisi  
 caligo inuoluens, & vmbra Mortis, ac densis-  
 sima tenebra relinquuntur?

Idem S. Bernhardus, a Iure, inquit,  
 Maria Sole perhibetur amicta, quæ profun-  
 dissimam diuinæ Sapientiæ, vltra quam credi  
 valeat, penetrauit abyssum; vt quantum sine  
 personali vnione creature conditio patitur,  
 luci illi inaccessiblei videatur immersa.

P

Sicut

a S. Bern. Serm. 7. super signum magnum.

Apoc. 12.

b In cap. 12, Apocal.



## 1.

Sicut ergo luminare maius præest diei; ita Beatissima Virgo lucem dedit sæculo, omnia tenebricosa corda illuminat, quo radijs suis penetrare potest. Quod tenebras ignorantia dispellat, exempla habemus in Alberto Magno, Hermanno Contracto, Ruperto Tuitiensi, & alijs, qui suam doctrinam, & lumen ingenij à Beatissima Virgine, pio cultu, & precibus impetrârunt. Tenebras cordis ab hoc Sole dispulsas, testabitur Maria Ægyptiaca, & integra volumina exemplorum, de peccatoribus ab hoc Sole illuminatis.

## 2.

Neque verò Sol tantum illuminat, sed & calefacit. Idem de Beatissima Virgine dici potest: Quemadmodum enim Sol ille, inquit S. Bernardus, a super bonos & malos indifferenter oritur; Sic ipsa (Virgo Maria) præterita quoque non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus

a S. Bernh. super signum magnum.



vibus clementissimam prabet, omnium denique in necessitate amplissimo quodam miseretur affectu. Nec est qui se abscondat à calore eius. Maria omnes fouet, inquit S. Bernardus, & omnes exhilarat, omnibus sinum aperit. In hoc sinu quis non incalcescat, quis non amore rerum cœlestium inflammetur?

3.

Sol mollia quædam exsiccat, indurat, & putrida mundat: apparet in limo, & luto. Ita gratia, intercessione, & meritis Beatissimę Virginis plurimorum magnorum peccatorum mollia, & putrida corda purgata, & emendata fuerunt. Nā gratia Marię Virginis cœnum peccatorum exarescere facit, & paludes vitiorū exsiccat. Quædam verò Sol emollit, liquefacit, dissoluit, vt ceram, niuem, glaciem, butyrum, &c. Ita frigida & congelata corda peccatorum Marię gratia liquefacit, dura mollit hic Sol misericordię. In varijs statibus, pro varietate, & diuersa constitutione hominum,

a Serm. 4. de Ass. P 2 iz



in animis eorum salutem misericorditer operatur.

4.

Sol transiens cloacas, & immundas lacunas, non inquinatur. Sic Beatissima Virgo nec in ortu suo, ex immunda & damnata massa generata, nihil immunditiæ contraxit, nec originalis peccati macula inquinata est. Quod considerans pius Idiota sic de ea loquitur: *a Tota pulchra es gloriosissima Virgo, non in parte, sed in tota, & macula peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis, non est in te, nec unquam fuit, nec erit: Sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum, & cœlestium donorum.* Hac ratione etiam innocenter vixit in Ægypto inter idololatrias, inter fannas & conuitia Iudæorum, inter persecutores Ecclesiæ, & etiamnum inter hæreses triumphat.

5.

Sol recreat fata: herbis, floribus, arboribus

*a Cap. 2. Contempl.*

ri  
&  
H  
cl  
p  
u  
p  
tu  
se  
V  
u  
p  
n  
a  
  
p  
c  
&  
ac  
ta  
te  
v  
re



iter  
das  
ma  
&  
m-  
ati  
de-  
ota  
te,  
lis,  
nec  
nis  
um  
lac  
y-  
&  
es  
ri-  
o-  
us

ribus dat succum, & vitam. Vbi frigus, & Solis priuatio, nihil horum cernitur. Hinc quidam flores Sole occidente, sese claudunt; eodem verò oriente, sese expandunt, calorem occultamque vim auidè excipiunt. Imò quidam Solem semper respiciunt, & motum eius sequuntur; Vnde nomen Heliotropij, seu Soli-sequij acceperunt. Ita veri cultores B. Virginis, Sole amictam semper respiciunt, ad Patronam suam, corda sua expandunt, vt varias gratias accipiant; ad nutum & voluntatem, eius directionem accipiunt.

6.

Tria maximè in Sole admiranda. In primis eius figura, tam paruus apparens, cum sit in se maximus. Secundò, lumen & splendor eius, oculorum nostrorum aciem præstringens. Tertiò, cursus eius tam constans, vt mensura & Regula sit temporum; id in horologijs solaribus, & varijs instrumentis Mathematicis apparet.

P 3

Hu-



Humilitas B. Virginis quam tota vita sua exercuit, fefellit oculos hominum, & textit illas excellentias & prerogatiuas, vt nec in matrimonio suo illibata Virgo, nec in felicissimo eius partu Mater Dei agnosceretur, cuius tamen dignitatem Cherubim ac Seraphim admirabantur. B. Anselmus, cum huius Virginis sublimitatem non possit satis explicare, ita eam alloquitur; *a Nihil tibi Domina aequale est, nihil comparabile: Omne enim quod est, aut supra te est, aut sub te est; Quod supra te est, solus Deus est; quod infra te est, omne id est, quod Deus non est.* Quis non stupeat constantem cursum eius, in continuis actibus amoris Dei? quos nullæ vitæ actiones, nec somnus ipse interrumpere, aut retardare potuit. *b* Multi enim grauissimi authores asserunt, B. Virginem propter scientiam infusam, quæ à phantasmate non dependet, etiam dum dormiret, nō cessasse à contemplatione rerum diuinarum, & dormientem mereri

*a Lib. de exor. hum. vit. b Suar. Tom. 2. q. 37.*



feri potuisse, quæ meritò illud Sponsæ dicere poterat, a *Ego dormio, & cor meum vigilat.* De hac re ita S. Bernardinus Senensis. *Somnus, inquit, qui abyssat, & sepelit in nobis rationis, & liberi arbitrij actus, & per consequens actum merendi: non credo quod talia in Virgine fuerit operatus. Sed anima eius liberè, ac meritorio actu tunc tendebat in Deum: vnde illo tempore erat perfectior contemplatrix, quam vnquam fuerit aliquis alius, dum vigilauit.*

Dionysius Carthusianus super illud, *Ego dormio, & cor meum vigilat*, de B. Virgine loquens, ita ait: *b In somno corporali cor eius peruigil fuit, & ex assidua assuefactione perfecta insistendi Diuinis, ex ardentissima, & exercitatissima charitate, ex splendidissima, & exuberantissima Sapientia infusa, & contemplatione in vigilijs, penè, aut prorsus continuè, etiam tempore somni, vigili corde fuit Deo coniuncta.*

Hac occasione occurrit mihi quæstio illa, non iniucunda, nec inutilis, qua

P 4

aliqui

a Cant. 5. b Cant. 5.

tota  
omi-  
ero-  
iba-  
artu  
nen  
ad-  
uius  
satis  
tibi  
mne  
est;  
ate  
non  
on-  
allæ  
rū-  
im  
gi-  
æ à  
um  
one  
ne-  
eri  
37.



aliqui propter verba illa Christi (*oportet  
semper orare, & non deficere: b* Item Apo-  
stoli, *sine intermissione orate, in omnibus  
gratias agite.*) *c* quærunt, quomodo ho-  
mo semper orare, & mereri possit. vigi-  
lans, ac dormiens. Respondeo autem,  
sicut Religiosi propter votum Obedi-  
entiæ semper mereri censentur, quoti-  
escunque, etiam ex pio quodam habitu,  
aliquem actum Regulæ suæ conformē  
faciunt, siue vt vigilant, vt loquitur S.  
Cassianus, siue vt dormiant; ita quiuis  
Christianus, qui syncrerè Deo placere,  
eumque nulla ratione offendere cupit,  
& mane, memor consilij S. Pauli *a* (*omne  
quodcunque facitis, in verbo, & in opere, om-  
nia in gloriam Domini nostri IESU Christi  
facite*) omnes suas actiones, & cogita-  
tiones ad laudem, & gloriam Dei offert,  
semper quasi orare, & mereri censetur.  
Formulæ autem ita se Deo commendā-  
di, in Ecclesia vsitatae sunt: *Domine Deus*  
Omni-

*b* Luc. 18.

*c* I. Thess. 5.

*a* Coloss. 3.



*Omnipotens, qui ad principium huius diei nos  
peruenire fecisti, tua nos hodie salua virtute,  
vt in hac die ad nullum declinemus peccatum,  
sed semper ad tuam iustitiam faciendam, no-  
stra procedant eloquia, dirigantur, cogitatio-  
nes & opera. Item, Dirigere & sanctificare  
dignare Domine Deus, Rex cœli, & terræ, ho-  
die corda, & corpora nostra, sensus, sermones,  
& actus nostros, in Lege tua, & in operibus  
mandatorum tuorum, vt hic, & in æternum  
salui te auxiliante, & liberi esse mereamur.  
Tales inquam, si Deum alioqui grauitè  
non offendant, cur non semper orare, &  
mereri existimentur? maximè si subinde  
se colligant, & animo matutinam obla-  
tionem repetant. Eodem modo qui ad  
lectum, & somnum se comparat, si priùs  
se Deo deuotè commendet, & pro om-  
nibus beneficijs, ab instanti creationis  
animæ suæ, à Deo acceptis, humillimè, &  
ex omnibus viribus animæ suæ offerat,  
& optet, vt Deus vel suspiria, & respi-  
rationes omnes, quoties etiam dormi-  
ens Spiritum ducit, in signum grati a-  
nimi*



nimi acceptet; quis neget talem etiam dormientem, propter tam seriam oblationem, Deo gratum opus facere, & simul mereri? Meritò sanè tales semper orare, & in omnibus Deo gratias agere censendi sunt. Disertè hoc suavitè Christus Dominus B. Mechtildi, vt refert Blosius in Monili spiritali cap. 9. *Quando, inquit, quis somnum capere vult, meditetur aliquid de me, aut mecum loquatur: ita enim licet corpore dormiat, mente tamen vigilabit ad me. Quisque dormiturus desideret, vt singulas respiraciones, quas nocte illa faciet, tanquam mei laudem suscipiam; Et ego qui sanctis votis pie amantissimaq; animæ deesse non possum, in veritate desiderium eius adimplebo.* Ideo Religiosissimus Blosius alibi, in Canone vitæ spiritalis cap. 24. dicit: *Quid? agrè fers quod non possis iugiter instare precibus? Si benè viuis, si à peccatis sedulo abstines, si tempus utiliter expendis, si te in conspectu Domini verè humilias, Deum & cœlestem patriam suspiras, semper precaris: Sancta enim vita,*  
*san-*



*sanctumq; desiderium coram Deo assidua  
 oratio est. In Exemplum, & testi-  
 monium huius laudatissimi spiritualis  
 exercitij, adduco S. Gertrudem charam  
 Dei filiam, Niuellis in Brabantia cele-  
 brem, ob vitam religiosè ibi transactam,  
 a cui vt Deus declararet, quid ei gratum,  
 & beneplacitum ab ea accidere possit, in  
 reuelatione quadam præcepit, vt om-  
 nes, & singulas in specie actiones suas  
 ei offerret, litteras quas scriberet, cibum  
 quem sumeret, verba quæ loqueretur,  
 passus, pedum motus, inspirationes, &  
 agitationes cordis, easque tam natura-  
 libus, quàm supernaturalibus filij sui  
 actionibus coniungeret, & vniret.  
 Quo consilio, & pio exercitio ad sum-  
 mam perfectionem peruenit, vt de illa  
 Deus S. Mechtildi (quæ in eodem Mo-  
 nasterio religiosam vitam profiteba-  
 tur) hæc verba diceret, *non est in terra,  
 dempta venerabili Eucharistia, locus, in quo**

P 6

agam.

*a Blos. in monili Spirituali in Appen-  
 dice.*



*agam libentius , quam in corde Gertrudis.*  
 Est ergo modus semper orandi , Deo  
 placendi, & merendi, ad aliquam saltem  
 imitationem gloriosissime Virginis Ma-  
 riæ.

7.

Porro, vt ad lineam redeamus, Sol  
 etiam nebulas ex aqua, & palustribus lo-  
 cis ascendentes, discutit, & aliquando  
 omninò consumit. Ita Beatissima Vir-  
 go, nostra desideria, quæ ex infirmitati-  
 bus, & malis habitibus nostris ascendunt,  
 & animam nostram obnubilant, calore  
 suo, & amore nostri dissipat, & denuo  
 nobis misericordiæ radijs fulget.

8.

Interdum etiam Sol densiores nu-  
 bes in pluuiam soluit, & aridam terram  
 rigat. Ita & Beatissima Virgo crassos va-  
 pores cordis nostri, & terrena desideria,  
 in pœnitentiæ lacrymas soluit, & arida  
 corda, salutari pluuiâ recreat, atque fœ-  
 cundat.

Com-



Compendio quodam S. Bernardus  
virtutem huius nostri Solis elegantissi-  
me describit: *a Maria, inquit, omnibus mi-  
sericordiae sinum aperit, vt de plenitudine  
eius accipiant vniuersi; Captiuus, redemptio-  
nem; aeger, curationem; tristis, consolationem;  
peccator, veniam; iustus, gratiam; Angelus, le-  
titiam; tota Trinitas, gloriam; denique Filij  
persona, humane carnis substantiam: vt nemo  
sit, qui se abscondat à calore eius.*

*a Super signum magnum. & de Natiuit.  
eius.*

PIÆ CONSIDERATIO-  
N E S.

I.

**I** V si genuina proles es, flagrantem  
hunc solem firma acie intuere, &  
pulchritudinem eius, abyssum in-  
quam omnium gratiarum, & celestium  
charismatum libenter contemplare.

P 7

2. Ad.



2.

Ad radios huius Solis, expande, vt turtur, alas tuas; excipe calentes radios, qui frigidum cor tuum recreent, & refocillent:admitte radios gratiæ, prompti sunt.

3.

Imitare Heliotropium, attende motum Solis huius, nictus inquam quibus te dirigit, sequere. Imitare Virtutes, quibus olim in terris luxit: nunc cœlesti gloria fulgentem intuere, lauda, inuoca, & in dulci eius memoria persiste.

4.

Post nubila Phœbus, in prouerbium abiit, nec ridet semper Apollo: ita fors fert rerum humanarū. Oriuntur nubes, quæ iucundos Solis radios abscondunt, minax & triste subinde cœlum, tempestates coquit. Tu patienter sustine vices rerum: transeunt tandem, & dissipantur nubes, redeunt optati Solis radij, & totus mundus recreatur.

5. Si



5.

Si imbrem, grandinem, & similes tempestates times, quæ vitæ nostræ incommoda secum ferunt, mille tædia, casusque aduersos; supergredere has tristes nubes, ascende montem rerum cœlestium contemplatione. Expertus ipse sum, & vidi sub pedibus meis nubes, & tempestates, cum in alpibus animi causa ambularem, & grato interea Sole fruerer. Ita expedit in tribulationibus mentem leuare ad cœlestia, fortunæ casus pedibus calcare, Solis huius (Mariæ Virginis) lucida regna contemplari, eiusque solatio frui.

6.

Etsi magnus coram Deo sis, opta paruus apparere coram hominibus: gloriatur hæc celsissima Virgo, quod Deus respexerit humilitatem Ancillæ suæ. Et tamen quanta hæc semper coram Deo à primo suæ creationis momento? interim in terris contempta, Orbi ignota, nunc vt Sol omnibus a-

stris.



stris maior, omnibus inquam Sanctis, & ipsis Angelis excelsior, in curia cœlesti præminet. Hanc promissionem etiam omnes humiles iusti habent: ideo canit Ecclesia, *fulgebunt iusti, sicut Sol, in conspectu Dei*, Optas fulgere, imitare, præ cœteris, fulgentem.

7.

Totus Mundus, in Sole miratur, ab aliquot millibus annorum, cursum constantissimum, & celerrimum, eumque tam occultum, vt progressus eius per umbram duntaxat animaduerti possit, & ex interuallis, ex quibus non currere, sed progressum fuisse agnoscimus. An non hoc mysterium agnoscis in hac Virgine Sole amicta, cursum tam constantem, & tam occultum, in omni genere Virtutum & meritorum? Quis Iudæorum, quis Gentilium in Ægypto animaduertit? Nos eius gloriam, & præminentias iam per fidem, & quasi in enigmate videmus, & miramur super omnes choros Angelorum exaltatam. Tu  
in sum-



MVL. AMICTA SOLE. 343

in summo silentio, & arcano cordis tui, scande de virtute in virtutem, quicquid agis, constanter agas, & perfice cursum. falles cœcum Mundum, soli Deo patebunt conatus tui, quibus benedicet, vt felicissimam tibi in cœlis propositam metam attingas. Quid tibi cum oculis, & linguis hominum? retardare te in cursu poterunt, promouere non possunt. Tu cœlum tuere, & cum solo Deo remage.

ORATIO.

**O** Amœnissimum Cœli iubar, Virgo Sole purior, dulcis Maria: Ah illustra tenebricosum cor meum, quod expando ad te cum hiantibus terræ flosculis; fove illud, & recrea potentibus tuis radijs; dulcissimo tui amore inflamma: trahe ad te omne desiderium meum; contempler te firma acie, vt filius tuus, & absorbear illa misericordiæ, omniumque aliarum tuarum Virtutum abyssos.



abyſſo. Ah doce me celerem , eumque  
 conſtantiſſimam in via mandatorum Dei,  
 curſum, & progreſſum, tibi Deoque ſoli  
 notum. Amem etiam parvus & humilis  
 coram Mundo haberi. Ardeat cor me-  
 um vt alios quoque tui, rerumque cœ-  
 leſtium amore inflammare poſſim , &  
 cum iuſtis aliquando fulgere, ſicut Sol,  
 in conſpectu Dei. Quæ in cælis corona-  
 ta triumphas in omnem æternitatem.  
 Amen.

## STELLA MATUTINA.

Vide in Lauretanis, fol. 136.

AVRORA CONSVR-  
GENS. 4

I.

**A**Vrora finis noctis eſt , diei verò  
 principium. Ita Beatiffima Virgo  
 cōcludit ea, quæ ſub ymbra olim  
 & ſi-

2 Cant. 6.